Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



95 81

tenderant ut adorarent in die festo. Hii ergo accesserunt ad philippum qui erat abethsaida galilee et rogabant eum dicentes. Domine volumus iesum videre. Venit philippus et dicit andree. Andreas rursum et philippus dixerunt iesu. Iesus autem respondit eis dicens. Venit hora ut clarificetur filius hominis. Amen amen dico vobis: nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit multum fructum affert. Qui amat animam suam perdet eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo: in vitam eternam custodit eam. Si quis mihi ministrare sequatur. Et ubi sum ego: illic et minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit honorificabit eum pater meus. Nunc anima mea turbata est et quid dicam: pater saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam. Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de celo. Et clarificauit et iterum clarificabo. Turba ergo que stabat et audierat dicebat tonitruum factum esse: alii dicebant angelus ei locutus est. Respondit iesus et dixit. non propter me vox hec venit: sed propter vos. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Respondit ei turba. nos audiuimus ex lege quia christus manet in eternum et quomodo tu dicis oportet exaltari filium hominis. Quis est iste filius hominis? Dixit ergo eis iesus. adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis ut non tenebre vos comprehendant. Et qui ambulat in tenebris nescit quo vadat. Dum lucem habetis